



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Laus quam Conscientia de re benè actâ Voluntati dat, solida est & licita.
Neque ab eâ inanis gloria, sed verum sincerumque Gaudium mentis
exoritur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

SECYNDVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Laudare benè agentem voluntatem.

TRACTATUS IX.

DE TESTIMONIO ET LAVDE
CONSCIENTIÆ.

Gloria & honor & pax omni operanti bonum.

Ad Rom. 2. v. 10.

Gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ; quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conuersati sumus in hoc mundo.
1. Cor. 1. v. 12.

Laus quam Conscientia de re bene actâ voluntati tribuit, solida est & licita. Neque ab eâ inanis gloria, sed verum sincerumque Gaudium mentis exoritur.

P R O O E M I V M.

*Duplex
Conscientia
munus.*



Rimam ratiocinationis nostræ partem exegimus, eamque difficillimam: è præruptis montium euasimus in planiora; & sic placidior faciliorque deinceps decurret oratio. Duo Conscientiæ esse munia jam dudum diximus. Primum quidem de actionibus præstandis statuere

tuere agendum quid sit, licitumne sit eas exhibere an illicitum; ac proinde in rem trahendæ num sint, an verò ab iis penitus desistendum. Alterum quod Conscientiæ competit, est de actionibus jam peractis ferre iudicium, illudque decernere, an benè sint præstitæ an verò perperam. Primum jam absolvimus; secundum nunc aggredimur explicare. Verùm istud etiam perpendendum est, quòd quamvis in actionibus quæ agendæ sunt decernendis, vnicò tantùm modo munus suum Conscientia exequatur, qui totus hoc vno dictamine absolvitur, præstandam hanc quæ proponitur actionem videri aut non præstandam, agendum aut non agendum: tamen præstita jam peractaque actione, plura sunt Conscientiæ officia, ad quæ eius iurisdictio exercenda extenditur. Sic sanè Legislatoris, aut Regii Senatûs, in præcipiendis ferendisque legibus, vnica tantùm est actio; legis nimirum efformatio eiusque in populum diffusa declaratio, quâ cunctis fiat manifestum quid ab iis requiratur. At verò circa actiones populi jam præstitas, non vnum est aut Regis, aut Iudicis, aut Senatûs officium. Nam aut laudare rem, benè peracta si sit, debet, præmiisque bene agentem afficere; aut castigare, si lex obseruata non fuerit. Hoc verò vt agat, inquirendum est in scelera, testes examinandi, corrigenda denique quæ Reipublicæ iniusta est labes. Ita prorsus varia exercenda sunt Conscientiæ munia, vt de actionibus jam peractis, officio suo faciat satis. Persequemur paulatim singula. Nunc verò istud demonstrandum est, cum benè peracta est actio, legique quam Conscientia tulit factum est satis, munus eius esse laudare Voluntatem, eique de re bene actâ gratulari. Vnde istud existit commodi, vt tota mens Gaudio perfluat liquidissimo: neque tamen inanem hanc esse vanamque gloriam, sed solidam omnino, eamque cui, quam in hac mortali vitâ habere possumus, beatitudo superstruatur.